DEO OPT. MAX. VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LUCÆ, ORTHODOX. MEDICORUM PATRONO

THESES EX UNIVERSA MEDICINA SELECTÆ PUBLICIS AGITANDÆ DISPUTATIONIBUS

IN MAJORIBUS MEDICORUM SCHOLIS CELEBERRIMÆ UNIVERSITATIS CADOMENSIS

PRO DOCTORATUS GRADU CONSEQUENDO

M. ALEXANDRO LUDOVICO BELJAMBE DE LONGRAIS, Professore Regio, Præside.

53

EX PYSIOLOGIA.

MEDICINA à medendo sic dicta definiri potest cognitio eorum, quorum ope sanitas præsens viget & conservatur, deperdita restituitur: *speculativa* est & practica. Illa in Physiologiam, Pathologiam & Semeioticem, hæc in Hygieinem & Therapeuticem dividitur. Ex variâ medendi methodo, variæ exsurgunt Medicorum sectæ, inter quas præstantior habeatur illa quæ rationem cum experientiâ novit jungere. Physiologia omnium prima, corporis humani functiones quatenùs perfectæ fiunt juxtà naturæ præscriptum, perscrutatur & perpendit. Corpus nostrum ex firmis & fluidis constare, docet Anatome: hinc duo tantùm admitti possunt illius principia, fibra nempè & humor, ex quorum diversâ indole & naturâ, diversa oriuntur temperamenta. Summum supremum que naturæ munus est individui conservatio & ejus nutritio, quam ex alimento assumpto illa perficit. Cibi duriores dentibus in ore constructis mandduntur, atteruntur, copiosâque oris pituitâ perfunduntur ac penetrantur. Sic præparatos excipit ventriculus & in chylum convertit, non fermenti, quod merum est figmentum, sed tritûs ope. Elaboratus chylus in intestina protruditur in quibus tenuiores ejus particulæ à crassioribus separantur; illæ per vasa lactea ad chyli receptaculum, ex quo secundùm canalem thoracicum in subclaviam venam deducuntur. Præcipuus opifex hæmatoseos pulmo: in hoc enim fit liquoris perfecta mutatio: hanc autem à vi fibrarum pulmonalium contractili & à virtute aëris elasticâ pendere contendimus. Multæ & diversæ in sanguine continentur partes, quarum aliæ tenues, aliæ crassiores, &c. gelatinosâ ejus portione corpus nutriri multiplici confirmatur ratione. Quæ fit in corpore humano humorum tùm utilium, tùm inutilium separatio, nec à fermento, nec ab humore analogo glandulis insidente, sed à propriâ vasorum compressione, motu diverso, variâ fabricâ & *complexatione* repeti debet. Singulis mensibus sanguinis fluxum patiuntur mulieres sanæ: menstrua vocatur purgatio, quæ certò ætatis tempore incipit, augetur ac desinit. Horum omnium ratio tùm ex sanguinis redundantiâ, tùm ex peculiari vasorum uteri dispositione optimè deducitur. Utrum ex ipso utero, an ex ipsius tantùm vaginâ proveniat sanguis? Affirmant alii, alii negant: nos verò variis innixi observationibus naturam hoc in negotio variare, & modò per uterum, modò per vaginam, modò fortè per utraquè loca sanguinem exire dicimus. Occultus & abditus generationis modus: an ab ovo, an à verme? ambigitur. Probabiliori tamen conjecturâ eum duci credimus, qui illam à miscelâ seminum fieri autumat. Absolutus & grandior fœtus post novem circiter menses, ex utero tanquam ex carcere, summo matris, proprioquè nisu foras erumpit. Alius est sanguinis circuitûs in fœtu, alius in nato & aërem respirante.

EX PATHOLOGIA.

PATHOLOGIA, quæ altera speculatricis Medicinæ pars, adversam corporis valetudinem considerat, hominem que variis tùm externarum tùm internarum injuriarum incursionibus undique lacessitum contemplatur. Hinc ea omnia quæ insalubria & præter naturam sunt, quorum vi & impulsu homo de optimo vitæ statu deturbatur, absolutam Pathologiæ tractationem efficiunt. Hæc autem tria sunt, morbus scilicet, ipsius causa & symptomata: unde vulgaris hujusce Medicinæ partis divisio in Pathologiam, quæ morbos declarat; Aithiologiam quæ tractat causas, & symptomatologiam quæ morborum effecta sive accidentia exponit. Morbus qui nihil aliud est quam status ille corporis viventis in quo exercendæ cujuscunque functionis facultas tollitur, ritè distinguitur in solidorum & fluidorum morbum. Solidorum morbi alii dicuntur similares, alii organici. Quadruplici modo vitiantur partes solidæ, figurâ, sive malâ conformatione; numero, cum excedunt aut deficiunt; magnitudine, cum augentur aut minuuntur; denique situ, cum à naturali in alienum & contra naturalem dejiciuntur. Fluidorum morbi facilè revocantur vel ad copiam vel ad qualitatem vel ad motum. Humoris redundantia plethora vocatur, qualitas læsa, Cacochymia; plus æquò major quantitas vasa nimium distendit, partes ipsis vicinas comprimit, unde tollitur oscillatio, virtus elastica, secretionumq; & excretionum interrupta pendent opera. Qualitas læsa in humorum à naturali consistentiâ & sapore recessu diverso potissimùm consistit; hinc illi aut nimium dissolvuntur, aut nimium sibi cohærent, aut multiplici modo acriores evadunt; quot & quanta ex his producantur mala, facilè cognoscet, qui eorum effecta diligenter examinare voluerit. Cæteræ morborum differentiæ petuntur, 1°. à causâ cujus ratione morbus dicitur idiopathicus, sympathicus, hæreditarius, connatus, acquisitus, &c. 2°. à subjecto, undè morbi ætatis, puerorum, adultorum, senum, virginum, gravidarum, parturientium, &c. 3°. à tempore, cujus ratione morbi alii sunt acutissimi, peracuti, acuti, alii chronici; alii Autumnales, verni, &c. alii continui, intermittentes, &c. 4°. ab effectibus, unde morbi salubres, benigni, maligni, sanabiles, insanabiles, contagiosi, &c. Causa morbi à nobis vocatur illud omne quod novum & præternaturalem statum in solidis & fluidis producere valet. Ea vel interna est, vel externa, vel continens; ab interná plerumq; primò humores, deinde solidæ partes læduntur; ab externâ verò ut plurimùm solida, tùm fluida afficiuntur. Continens dicitur quæ in corpore, morbo proximè adhæret: hujus præsentia morbum constituit, fovet; absentia tollit. Symptoma est quidquid præternaturale ex morbo ut ex causâ in corpore ægroto evenit, eâ tamen differentiâ ut ab ipso morbo & ejus causâ proximâ distingui queat. Symptomata omnia satis commodè revocantur ad actiones læsas, retentorum & excretorum vitia & qualitates corporis mutatas.

EX SEMEIOTICE.

SEMEIOTICE signorum doctrinam exponit, quibus præteritus, præsens vel futurus sanitatis aut morbi status dignoscitur. Horum tanta necessitas, ut his sublatis, Medicinæ fundamenta corruant. Diagnostica vocantur, cum præsentem corporis sani aut ægri conditionem denuntiant; prognostica, cum futura prænuntiant; anamnestica, denique cum prægressa in memoriam revocant. Nullus est morbus, in quo aliquod non deprehendatur signum quod morbo proprium & ab eo inseparabile; vocatur pathognomonicum. Hujus cognitio ut in medendo maximè necessaria & utilissima, ita indagatu sæpè difficillima. Alia dantur etiam signa epigenomena dicta seu supervenientia quæ aliàs in morbis, aliàs verò nullo modo occurrunt. Ritè intellecta maximum afferunt in praxi emolumentum; neglecta, summum nocumentum; mutationem enim variatasque morbi conditiones docent. E diagnosticis signis alia morbum, alia causam, alia partem affectam indicant. Prognostica pro objecto habent humorum cruditatem, coctionem, crisim, morborum eventum, sive in salutem, sive in alium morbum, sive in mortem. Ut rectam prognosim instituat Medicus, morbi vehementiam cum ægrotantis viribus conferre debet: si morbi magnitudo ægri vires superet, mors, si vero hæ morbo sint superiores, salus tuto prædici potest. Porro cum signa præcipuè pendeant ex corporis humani functionum effectis, ab earumdem facilitate vel læsione procedentibus, hæc accuratè à Medico examinanda veniunt, ut indè morbum in intimo corporis recessu conditum detegere queat. Ad actiones animales referuntur somnus & vigilia: quot & quanta ex nimiâ vigiliâ prædici possunt mala? Hinc rapidior fit sanguinis motus, ipse sanguis acrior evadit, dolores exacuit, nervos irritat, motus excitat spasmodicos, uno verbo lenes illas ac dulces fugat & arcet sanguinis moras, quæ dulcem ac salutarem suadere possunt somnum. *A vigiliâ convulso aut delirium malum*, inquit, Hypp. aph. 180. sect. VII. nec minora ex somno habentur salutis aut mortis indicia: audiamus Hypp. de somno sic loquentem aph. 1°. sect. 2ª. *quo in morbo somnus laborem facit lethale, quod si juvet somnus, minimè lethale.* Respiratio illa boni est præsagii quæ æqualis, facilis, libera & constans; pessimi è contra quæ difficilis, quæ cum stridore murmure & sybilo persicitur, quæ doloris sensum secum affert. Pulsus virium index est certissimus. In hoc habeatur ratio temperamenti, ætatis, anni tempestatis, sexûs, animi pathematum, laboris, &c. Quotidianæ enim corporis mutationes pulsus immutant & sine earum observatione non certò potest percipi pulsus, nec quantum per illas à naturali differt. Ingenere pulsus vel est magnus & celer, vel tardus & parvus: magnus dicitur quandò ab insigni sanguinis copiâ arteria ampliùs deducitur ac elevatur: parvus è contra, ubi exiguâ sanguinis portione non ita ampliatur, hic virium imbecillitatem, ille constantiam arguit. Pulsus omnium optimus inquocunquè casu est ille, qui fortis, magnus, æqualis, & tardus simul occurit; omnium verò pessimus habetur, qui simul debilis, parvus, ferratilis, inæqualis, intermittens, & frequens; eò certè pejor quo plures simul concurrunt tales notæ. Signa ad alvinam regionem spectantia desumuntur ex digestione, ejusque vitiis, ex excrementis & urinis. Urinarum inspectio modò sola non adhibeatur, maximæ est utilitatis in praxi Medicâ, tum ad certam prognosim instituendam, tùm ad præsentem corporis statum detegendum.

EX HYGIEINE.

HYGIEINE ea est Medicinæ practicæ pars, quæ sanitatis conservationi invigilat rerum non naturalium usu: res autem non naturales appellantur illæ quæ nullatenùs corporis humani naturam ingrediuntur, & quarum usu recto ac legitimo sanitas præsens conservatur; præpostero, tollitur. Sex vulgò numerantur aër, cibus & potus, motus & quies, somnus & vigilia, excreta & retenta, animi pathemata. Aër ille sanitati amicissimus qui purus, serenus ac temperatus est; insalubris habetur qui intemperatus est & excessivâ quâdam qualitate peccat. Bonæ valetudinis cupidus subitas illas ac repentinas aëris, calidi in frigidum & frigidi in calidum sedulò devitet mutationes, nihil majus sanitati detrimentum consiliat. Hinc vere & Autumno tam frequentes & graves nascuntur morbi, quorum causa aliundè repetenda non videtur, quam à repentinâ, quæ frequenter tunc temporis contingit, cæli ac tempestatum mutatione. Tria in cibo & potu spectanda qualitas, quantitas & utendi modus. Eadem alimenta indiscriminatim ab omnibus usurpari non debent, quin imò in eorum delectu maxima habenda est ratio unius cujusque temperiei, ætatis, sexûs, vitæ generis, exercitii, &c. eâ copiâ assumantur quæ corpori nutriendo viribusque reficiendis sufficiat; *ubi plus cibi*, inquit Hypp. *quam pro naturâ ingestum est, hic morbum facit.* Hinc profectò natum istud proverbium, *intemperantia Medicorum nutrix.* Quod ad utendi modum hæc tibi sit constans & firma regula, ut semper cum appetitu, numquam cum fastidio ad mensam accedas. Sanitatem tuetur quisquis simpliciora seligit alimenta, aureamq; in cibo & potu servat mediocritatem. Aqua ut potus omnium primus, antiquissimus & communissimus est, ita ad vitæ tutelam accommodatissimus. Hæc cæteros arte paratos liquores salubritate antecellit, sive sitis sedanda, siccitas emendanda, crassities humorum tollenda, aut eorum acrimonia delenda sit. Alternis gaudent vicibus motus & quies. Exercitio, inquit sanctorius lib. de motu & quiete aph. 9°. corpora leviora fiunt, corpus ab excrementis expurgatur, spiritus que tenuiores evadunt. Vita sedentaria, otiosaquè nimis, periculi plena; hæc enim viscerum obstructiones parit, humorum progignit stagnationes, corpusque ad graves ac pertinaces morbos disponit. Somno vires reficiuntur, spiritus instaurantur; inde corpus fit vegetius, tolluntur curæ, fovetur insensilis transpiratio. Cave tamen ne immoderatus sit, hic etenim torpidum, ignavum & languidum reddit corpus, nec minora animo consiliat mala. Moderata quoque fit vigilia: immoderata vires absumit, corpus emaciat & quam plurima accersit mala. Pullulant tanquam ex uberi fœcundâ materie morborum facies innumeræ, ex eo quod quæ excerni debeant, retineantur; quæ retineri, excernantur. Quas non edit strages cutis expiratio, si cohibeatur aëris inclementiâ? Quos non movet tumultus muliebris naturæ tributum, si quamvis ob causam singulo mense non pendatur? In animi pathematis modum servare memento, nec omninò supprimantur, nec nimis excitentur, ex utraque parte sanitati nocent.

EX THERAPEUTICE.

THERAPEUTICE labefactæ sanitatis restituendæ rationem sibi vindicat aut legitimâ vivendi methodo, aut justâ medicamentorum applicatione, aut manûs operâ & administratione. In omnibus quæ ad curandas hominum ægritudines vulgo adhibentur auxiliis, indicationes sequi meminerit Medicus. Illæ prima praxeos Medicæ fundamenta. Tria sunt quibus medendi methodus constituitur, remedii genus, quantitas & utendi ratio. Remedii genus cognoscitur ex affectûs specie; quantitas, ex morbi magnitudine; utendi ratio, ex partis, cui insidet morbus, conditione. Indicationum varietas magnam aliquandò parit difficultatem: hanc tollere poteris si tibi altâ mente reposita sint sequentia axiomata. Cum æqualiter urgent vitalis indicatio & alia quælibet, vitali satisfaciendum. Ubi non est eadem vis indicationum urgentiori serviendum. A juventibus & lædentibus optima habetur indicatio. Adhibito uno remedio, inquit Hypp., si id quod ratio postulat, non succedit, non protinus ad aliud transeundum, manente eâdem causâ, sed pergendum. Procul hinc ergo illi omnes, qui huc & illuc per omne remedii genus oberrantes, nihil rati, certiquè tenent. Diæta rerum non naturalium varium pro vario ægrotantium statu, pro varietate circumstantiarum, usum edocet. Qui legitimam præscribendorum alimentorum rationem noverit, morbos cæteris incurabiles, feliciter ac tutò valet debellare. Summum artis Medicæ præsidium venæ sectio: hujus ope canalibus ultrà metas distentis tonus restituitur, debitæ redeunt oscillationes, soluta magis & elaborata fluida facilius circumaguntur, secretiones & excretiones promoventur, humores in vasis redundantes evacuantur: convenit inflammationibus tùm internis, tùm externis. Evacuando, revellendo & derivando agit. Mittatur sanguis cum inutilis est. Dupliciter autem inutilis cum ut quantitate aut qualitate peccat: hinc pueris æquè ac senibus detrahi debet, cum in iis abundat, aut vitiosus est: accedente crisi inutilis, imò sæpiùs periculosa. Pharmacia medicamenta proponit ex tribus regnis, animali, vegetabili, minerali desumpta. Alterantia sunt & evacuantia; illa humores pravos corrigunt, emendant, hæc humores redundantes & noxios evacuant. Quæ deprehenduntur in humoribus vitia, sibi contraria postulant remedia; ita in nimiâ fluiditate, inspissantia; in spissitudine, attenuantia; in acrimoniâ, Lenientia; in obstructione, aperientia; in laxatione, roborantia; in rigiditate, laxantia; in motu moderantia utiliter præscribuntur. Evacuantia medicamenta per naturalia corporis emunctoria humores educunt, undè alia sudorifera, quæ per cutem, alia errhina, quæ per nares, alia sialogoga quæ per os, alia emetica, quæ per ventriculum, alia purgantia, quæ per intestina, alia diuretica nuncupantur, quæ per urinæ vias expurgant: nulla ex his præscribantur nisi priùs indicata fuerint. At in omni evacuatione illud in primis caveas, ne in extremam debilitatem adductæ vires concidant. Morbi fomes dematur materia, viribus quantum fieri poterit, oblæsis: vacuandum enim quantum & quo usque vires patiuntur. Valentes vires integram, mediocres moderatam, prostratæ nullam materiæ morbificæ vacuationem postulant; quia ex hâc ultimâ commodi nihil, incommodi plurimùm infertur.

Has Theses proponebat NATALIS ANTONIUS FEULRY, *Cadomæus, Licentiatus Medicus, die Jovis 14ª. Augusti A. R. S. H. M. DCCXXXII, ab horâ secundâ ad vesperam.*

CADOMI, Apud ANTONIUM CAVELIER, Et JOANNEM CLAUDIUM PYRON, Universitatis Typographos.

BIBLIOTHEQUE